



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Error Thomæ Dempsteri, & Cypriani.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

dum quem cum vidua erat aditurus, cum ea ceremonia adhiberetur, ut palam fieret mulierem, quæ calceum extrahebat, posthac sui juris esse, & habere potestatem nubendi cui-libet, & levirum non jure calcandi fundum quem cum vidua aditurus erat cedere, sed omni jure pri-vari quod in ipsam viduam ha-bebat.

VI. Sed gravius peccavit Tho-mas Dempsterus. *Quod, inquit, consuetudinis Judæorum, apud quos, qui nuptias recusabant, nudis pedibus incedere cogebantur, puto, ut carentia prolis plecteretur, D. Cyprian. lib. 2. in Judæos.* Putat vir doctus eam Judæorum consuetudinem fuisse, ut qui nuptias recusarent, nudis pedibus incederent, idque ex Cy-priano probat. Verba Cypriani, quæ innuere videtur, hæc sunt: *Erat enim in lege, ut quisquis nup-tias recusaret, calceamentum depone-ret, calcearetur vero ille, qui sponsus futurus esset.* Sed plane erravit. Cyprianus. Calceus in lege qui-dem extrahebatur à defuncti vidua, quam levir ducere recusabat, non vero omnes, qui nuptias recusa-

Dempst.
ad Ros.
pag. 439.

Cyprian in
Iud. l. 2.
cap. 18.

O s bant

322 De CALCEIS HEBRÆOR.

bant calceamenta deponebant, ut nec illud in Judæorum moribus fuit, ut calcearetur qui sponsus futurus erat, quod unde Cyprianus hauserit ego profecto nescio. Longè vero ineptiora sunt quæ Dempsterus notavit. Leviro quidem calceus extrahebatur, quando recusabat viduam ducere defuncti fratri, sed non illi qui nuptias recusabant nudis pedibus incedere cogebantur. Quin levir ipse non semper nudis pedibus incedebat. Nam & calceus dextri pedis tantum extrahebatur, & calceatus incedere postmodum potuit, quia infiebat non nisi judicii tempore. Neque id factum est ut carentia proliis plecteretur, sed ut signum esset, eum privari omni jure quod ex lege Dei in viduam habebat. Ut hoc omnino Judæorum ingratuus dixerit Dempsterus.

CAPUT SEPTIMUM.

Apud Hebræos non nisi aliqua formula sive ceremonia adhibita fiebant contractus. Antiquissimus